DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Paolo Ciogni



Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO.

PAULUS CIOGNI

FELICITATEM.




ON mediocri lætitia perfundor, Clemens Pontifex Maxime, *me tibi, quam habui Oratiunculam de inenarrabili* Trinitate *in amplissimo, & celsissimo loco tuæ Dignitatis, hanc tuis pedibus humiliter advolutum offerre posse. Nam si pro tua in omnes benignitate, & clementia id genus lucubrationum minime dedigneris, quæ tuo in Sacello prolatæ se posthac tibi sistunt gratiores, atque acceptiores; hæc profecto mea, quantulacumque est, non timere modo tuam offensionem, sed ne vereri quidem debet. Suam enim exilitatem illius argumenti dignitate compensat, quod & cæteris omnibus tanto præstantius est argumentis, quanto* TRINITATIS *mysterio cætera Religionis nostræ minora esse videntur; & quo nullum aliud tibi antiquius esse ab usque tui Pontificatus exordio pro virili parte terrarum orbi declarasti. Qua de re cum mecum*

initio ageretur, refugiebam equidem tanti argumenti magnitudinem, timore salutari perculsus, ne quisquam meæ adolescentiæ jure succenseret, si cum a cæteris rebus satis tenuiter instructa, tum in hoc genere penitus rudis, ad dicendum de rebus tam eximiis, tam arduis, ac omnino divinis aggrederetur. Sed subiit animum cogitatio pulchros, ac jucundos hominum oculis esse in Tabulis prospectus nubibus interjectis aliqua ex parte impeditos, quibus alicujus ædificii, aut oppidi nonnulla sese ferunt obvia vestigia: hinc potuisse me nulla audaciæ nota inuri, si plurima neque obscura, neque inelegantia Divinæ TRINITATIS indicia, & quasi admirabiles adumbrationes in lucem, & in adspectum protulissem, quas Patres post hominum memoriam doctissimi, atque sanctissimi inter mysticas Legis cæremonias, & multiformes Prophetarum visiones summa cum voluptate, & veneratione contemplati sunt. Sic facile diligens Christianus agnoscat (*utar enim Magni Doctoris, ac Pontificis verbis*) initia veteris Testamenti Evangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum fædus secundum, a quo primum fuerat institutum (*a*). *Has igitur* TRINITATIS *figuras quibusdam veluti tenebris obvolutas si tibi pro meo modulo exposui*, BEATISSIME PATER, *æqui bonique consulas supplex peto, atque obtestor; minime id quidem, quo te commonefacerem, sed quia libenter feci, ut cujus Mysterii majestate, & fide te vehementer affici constat, ipsarum ejusdem figurarum animum tuum jucunda commemoratione delectarem. Te DEUS Optimus Maximus plus plusque sospitet, & ut mihi, & contubernalibus meis Apostolicam Benedictionem impertiaris, etiam atque etiam obsecro.*

ORA-

(a) S. Leo Papa Serm. 1. de Pente.



ORATIO.



SI sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, BEATISSIME PATER, maxime cadit in hunc majestatis, & venerationis plenissimum locum, hodierna ego die, ut de summo Divinæ TRINITATIS arcano aliquid brevissime disseram, quo me vertam, nescio. Nam istud cogitanti mihi, & animo contemplanti subito ob oculos erumpere videntur aquæ illæ (a), quas Ezechiel mirifice desilire vidit ex adytis Templi, & magis magisque increbescentes in rapidum ac magnum torrentem intumescere, cujus non tangenda vada nusquam homini datum est transilire, & cujus perpetuo ripa arboribus pomiferis utrinque ridet, quorum fructus in cibum maturant, & folia in medicinam virescunt. Quamobrem non si tantam aquarum vim trans-

 nare

(a) *Ez. XLVII.*

nare audeat, ſed hoſce fructus delibans, & iſthæc folia decerpens, figuras quaſdam, ac præſignificationes hujus auguſti Myſterii in veteri Teſtamento adumbratas depromere ſolummodo conetur, quæſo, mea benigne, ac placide excipiatur Oratio.

Animum hominis ad exemplar divinitatis expresſum hunc inexhauſtum TRINITATIS Theſaurum vel ex parte, vel per ſpeculum, & in ænigmate intuitum nonnumquam fuiſſe, ab illo præcipue hujus univerſitatis parente, ac opifice DEO illuſtratum, neminem arbitror latere, qui libros divinitus exaratos deguſtare inſueverit. Quis enim conjicere non poteſt fidem de TRINITATE tunc animo non imbibiſſe Noe (a), quando Arca, DEO ſic probante, conſcenſa una cum tribus Filiis per horridæ diluviei gurgites incolumis evaſit; aut Iſaac (b), quando tres puteos effodit, aut Joſeph (c), quando in una vite tres intellexit emergere palmites, aut Moyſem poſtremo (d), quando tres præclaras inſtituit ſolemnitates, ad quas omnes Judæi convenire debebant; ſeu quando tribus acceptis ſuæ miſſionis ſignis (e) ſe Pharaoni ſiſtens, DEUS, inquit Hebræorum vocavit nos, ut trium dierum (f) viam in ſolitudine ingrediamur? nimirum ut per fidem TRINITATIS, a quo peregrinamur, dum ſumus in corpore, quemadmodum ait Divus Paulus (g), illi ſervientes adhæreamus, ejuſque tantum gloriæ velificemur, æternam poſthac in Cœlis adepturi felicitatem.

Sed inſigne TRINITATIS monumentum eſt, jam uſque a Mundi ductum incunabulis, homo, quo ab auctore,

(a) *Gen. VII. 13.* (b) *ibid. XXVI.* (c) *ibid. XLI.*
(d) *Num. XXIX.* (e) *Exod. IV.* (f) *Ibid. V. 3.*
(g) *2. Cor. V. 6.*

ctore, & effectore DEO inter ea, que cadunt sub sensus, nihil pulchrius, nihil potius, nihil divinius ne votis quidem conceptis optari potest. Hominis enim velim memoriam recordemini ultimam: inde usque repetentes non obscure cognoscetis DEUM sane neminem alium consuluisse, quam semetipsum, cum dixit: faciamus hominem (*a*); nec alium, quam semetipsum compellavisse, aut alterum quidem semetipsum, ad cujus imaginem hominem effinxit; illum scilicet, per quem omnia facta sunt (*b*), illum, qui in Evangelio testatur, quæcumque Pater facit, hæc & Filium similiter facere (*c*): ac proinde Pater suum Natum invitans alloquio, eodem temporis puncto Spiritum Omnipotentem alloquitur, qui ab utroque procedens tam similis, tam par utrique est, ut Pater & Filius, ipseque Spiritus unum proprie & dicantur, & sint. Ea igitur verba omni prædicatione majora, non quibusdam Angelis a DEO facta, sed aliis quidem Personis sibi consubstantialibus, & pluralitatem earumdem Personarum, cum dicitur *Faciamus*, & unitatem naturæ, cum subjungitur, *Ad similitudinem nostram*, præseferentia, jure, ac merito tanquam præclarum TRINITATIS testimonium a Patribus adhibita sunt contra quemdam ab Ario missum Philosophum, qui habito Nicææ Concilio interfuere.

Utuntur quoque majores nostri exemplo Adami, Evæ, & Seth hanc ad rem difficilem, immensamque, imo vere inexplicabilem aliqua ratione explanandam, in quibus eadem quippe natura subsistebat diverse, ceu in fonte in Adamo, & tamqnam ab Adamo accepta in Eva, & in Seth tandem uti ab utroque proficiscente.

(a) *Gen. I. 26.* (b) *Joan. I. 3.* (c) *Ibid. V. 19.*

te. Verum longe melius symbolice expressit æternæ Triadis unitatem ternio ille Angelorum, qui ad hospitalitatem commendandam, ut loquitur Apostolus (a), pientissimo Patriarchæ Abraham in Mambre convalle apparuere, quos ipse in singulari salutans, Domine, dixit, si inveni gratiam in oculis tuis (b): atque adeo tres vidit, & unum adoravit. Nullum tamen luculentiorem Trinitatis testem mihi videre videor, quam quotiescumque illud nomen mihi venit in mentem, quod Moysi fatetur, se habere ille, qui est, se nempe DEUM Abraham, DEUM Isaac, & DEUM Jacob nuncupari (c) Quid enim? Nomen ne singulariter positum unam sane naturam, trinaque illa nominis DEI repetitio tres ejusdem Trinitatis Personas nobis pulcherrime non declarat? Præterquamquod Abraham plenus dierum Patrem (d) æternum Antiqum dierum a Daniele appellatum (e); Isaac ad mortem usque obediens (f) Filium, qui usque ad mortem obediit (g); & Jacob pulchræ Rachelis amator (h) sanctissimum Spiritum repræsentat, qui non persona modo, verum etiam natura amor est, atque animarum suæ charitatis igne fervescentium amantissimus Sponsus. Hic etiam ea juvat meminisse, quæ in Arca prisci fœderis asservabantur, hyeroglyphicas Trinitatis notas fuisse (i): namque a virga significabatur potentia, quæ Patri tribuitur, a tabulis Legis Sapientia, quæ tribuitur Filio, & a manna propter saporis dulcedinem suavissima charitatis unctio, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus

---

(a) *Hebræ. XIII.* 2. (b) *Gen. VIII.* (c) *Exod. III. 6.*
(d) *Gen. xxv.* 5. (e) *Dan. V.* (f) *Gen, xxii.*
(g) *Philipp.* II. 8. (h) *Gen.* xxix. (i) *Exod.* xvi. 33. *Num.* xxvii. 10. *Deut. X.* 5.

datus eſt nobis (*a*) . Quid vero dicam de benedicendi filiis Iſrael ratione , quam DEUS Sacerdotibus præſcripſit ? Præſtat nunc eadem verba in medium afferre , ex quibus TRINITATIS Sacramentum graphice delineatum præmonſtrari facile quiſpiam poteſt intelligere . Benedicat tibi Dominus, debebat Aaron dicere Iſraeli (*b*), & cuſtodiat te : oſtendat Dominus faciem ſuam tibi , & miſereatur tui ; convertat Dominus vultum ſuum ad te , & det tibi pacem . Nonne omnia hic trina animadvertere par eſt ? Trias verſuum, trina nominis tetragrammati repetitio , trium primorum digitorum elevatio in ejuſdem nominis pronunciatione , & Patris ſimul Omnipotentis cuſtodia , & Nati ſui ſanguinis pretio totum Mundum redimentis miſeratio, & pax denique Paracliti vivificantis ?

Ne longum faciam illa animalia ſilentio prætereunda eſſe duco , quorum Ezechiel (*c*) , & Apocalypſis (*d*) meminere , quæ plena oculis ante , & retro , Sanctus, Sanctus, Sanctus clamare nunquam ceſſantia , perſonarum triadem plane confitentur , eſſentiæque ſignant unitatem , invocantia dehinc Dominum DEUM exercituum, quemadmodum auribus olim accepit Iſajas (*e*) . Prætereo quoque illud Pſalmi : Verbo Domini Cœli firmati ſunt , & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum (*f*) ; quo quid clarius , quid apertius , quid ſecurius individuæ TRINITATIS arcanum indicet, neſcio. Prætereo tandem Danielem illa magnificentiſſima viſione (*g*) pulſatum , qua ante oculos ei obverſabatur Antiqus dierum ſedens, & facies ipſius ſpledeſcens , igneuſque fluvius ab ejuſdem facie promanans , Pater videlicet non ſenior, aut prior ,

---

(a) *Rom.V.*5. (b) *Num.*VI. 24. 25. & 26. (c) *Eze.* I.
(d) *Apo.*IV. (e) *Iſa.* VI. (f) *Pſal.* 32. (g) *Dan.* VII.

prior, sed aliarum Personarum principium sempiternum, & Filius a Paulo vocatus splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus (*a*), & Sanctus Spiritus, qui ignis appellatur, igneque reapse Apostolorum corda complevit sacra Pentecostes die (*b*), qui a facie Dei egreditur, nempe a Patre, Filioque procedit. Vos spectaculum illud animo, & cogitatione percurrite, cum ad candelabrum (*c*) manus hominis tres digitos habens, & incognitos caracteres, mysteriisque refertos inscribens parieti visa est: Nonne hoc vobis spectantibus statim occurrit haud obscura TRINITATIS imago, in qua tres divinæ Personæ, non secus ac digiti in manu, eadem pollent natura? qui autem digiti uti ad candelæ lumen conspiciebantur, ita fide facem lucente in hoc reductum, & interius divinitatis sacrarium penetrandum est: ac veluti inter tot, tantosque Babilonis sapientes solus inventus est Daniel Dei spiritu plenus ad abditas illas notas interpretandas idoneus; ita mundana philosophia in TRINITATIS venerandæ a nobis, & colendæ nomine turpiter obmutescit, unusque unigena DEI hoc tantum, imperviumque Mysterium potest enarrare. Ego quidem profecto, cui non tam orationis requirenda copia est, quam vestra satietas refugienda, honestis hujuscemodi cogitationibus libentissime immorarer, vobisque etiam ostenderem non in Templi tantum candelabro ex auro mundissimo conflato, tribusque calamis utrinque exporrecto, quorum singuli tribus quoque scyphis, totidemque sphærulis, liliisque constabant (*d*), sed etiam in ipsius Templi admirabili, singularique structura (*e*) sic tria in atria divisi, ut primo secundum,

(a) *Ad Hebræ.* I. 3. (b) *Act. Apos.* II. (c) *Dan. V.*
(d) *Exod. XXXVIII.* (e) *Ezech. XL.*

dum, & tertio duo priora clauderentur, unitatem DEI una cum Perſonarum TRINITATE, æqualitateque mirum in modum adumbratam fuiſſe, atque deſignatam. Sed ut finem dicendi faciam, temporis me ratio monet. Illud tantum addam nos lumine divini vultus ſignatos, atque adeo ſpeciem quamdam, ac formam TRINITATIS in tribus noſtræ animæ facultatibus quoquo modo deferentes, &, quod maximi momenti eſt, ſub Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine, explicitaque invocatione renatos, & ad priſtinam, jam peccati labe deletam, pulcherrimam, tamque diu exoptatam imaginem revocatos, nos, inquam, acrius incendi, atque inflammari neceſſe eſſe, qui non unum, ſed pæne innumerabiles auguſtæ TRIADIS typos, ac figuras non jam humanis ad exigui prædicationem temporis, ſed divinis ad omnem æternitatem litteris commendatas intuemur. Itaque perpetua ſit gloria, perenneque decus Unigenito quidem, qui eſt in ſinu Patris (a), qui nobis hoc maximum ſecretum protulit, ſuæque Religionis, cui nomina edidimus, tanquam firmum, ac ſolidum poſuit fundamentum; quique cum Patre, & Spiritu Sancto unus DEUS vivit, & regnat per innumerabiles myriadas ſæculorum.

(a) *Joan.* I. 18.

FINIS.

